DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROPIS CAUSIS ET CURATIONE.

EDINBURGI:
APUD E. BALFOUR.

10.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

HYDROPIS CAUSIS ET CURATIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

ET Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES M^c^KECHNIE,

SCOTUS,

SOC. REG. PHYS. EDIN. SOC. HONORARIUS.

AD DIEM 24. JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

Then Hydrops next appears among the throng:
Bloated, and big, ſhe ſlowly ſails along;
But, like a Miſer in exceſs, ſhe's poor,
And pines for thirſt amidſt her watery ſtore. GARTH.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD E. BALFOUR.

1800.

ANDREÆ CLARK,

ARMIGERO,

PROPTER MULTA BENEFICIA

IN EUM COLLATA;

NECNON

JOANNI MACKINTOSH,

ARMIGERO,

AMICO SUO,

HOC EXIGUUM

OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

D. D. D.

AUCTOR.

GULIELMO BAIRD,

ARMIGERO,

QUI EUM EX TENERIS ANNIS

AMICITIA NUNQUAM OBLIVISCENDA

PROSECUTUS EST;

HOC TENUE GRATI ANIMI,

PIGNUS

OFFERT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROPIS CAUSIS ET CURATIONE.

LAUREAM Apollineam ambiens, quædam de Hydrope conſcripta, quò almæ hujus celeberrimæ Academiæ legibus obtemperem, in lucem edere cogor: cùm nil autem novi mihi ſuppetit, obſervationibus auctorum maximè idoneorum undique, quâ potui cura, collectis, contentus ſim, neceſſe eſt.

A CAUSÆ.

CAUSÆ.

Hydropis cauſæ in *prædiſponentes*, *excitantes*, et *proximam* diſtribui ſolent: per illas omnia volumus, quæ corpus hydropiſi opportunum reddunt, per has, quæ valetudinem proclivibus concitant: in poſtremo verbo ſignificamus corporis ſtatum, unde ſymptomata, et horum ratio proximè pendent.

Huic vero cauſarum diviſioni non pauca quidem objici poſſent; quænam enim cauſæ proclivitatem ſolùm faciant; quænam opportunis malum per ſe concitent, nondum ſatis inter medicos convenit: Porrò cauſa proxima plurium corporis conditionum effectus non rarò exiſtit; nulla eſt igitur cauſarum ſeries, aut ordo, quem ſtrictè ſequi, vel vitare poſſumus: neque tanta quidem accuratione opus eſſe videtur; utcunque

 ſit,

ſit, omnes ad eas, quæ corporis vires convellunt, quæve humorum circuitum, aut abſorptionem impediunt, aut ſeri copiam, denique, præter naturam augent, ſponte quaſi, qualiſcunque operandi modus fuerit, referri poſſe videntur: de his ſigillatim paucis nunc agetur.

I. *Debilitas univerſalis*, quippe pleriſque morbis opportuna, prædiſponentibus aquæ intercutis cauſis meritò annumeratur; eam quidem per ſe interdum facit; quoad ejus operandi modum; exiles arteriarum exhalantium fines, vitii corporis totius participes, et præter naturam laxas fieri, ramis ſimul majoribus naturali vigore orbatis licèt, ſolito frequentiùs plerumque micantibus, inter omnes ferè medicos jam convenit: his poſitis, humoris in telæ ſpongioſæ cellulas effuſi ratio quodammodo reddi poteſt: ob, arteriarum enim infirmitatem, ſanguis in venas ſolita vi impelli nequit; indeque pars ejus tenuior per laxiora vaſorum exhalantium oſcula,

quippe

quippe minus renitentia, qua data porta, in textum ſpongioſum aliaque corporiſque cava elabitur.

Porrò eadem debilitas generalis cum venis abſorbentibus communicata obſtat, quominus effuſus humor in ſanguinem circumfluum reducatur: hæc rei ratio, qualiſcunque ſententia fuerit; de vaſorum reſorbentium naturâ, vine nimirum, muſculoſâ, an merâ reſiliendi facultate, prædita habeantur, eodèm redit: hanc ſententiam amplexi, non ſolùm laticis effuſi ingreſſionem, ſed etiam progreſſum cor verſus muſculorum totius corporis debilitate impediri inquient; illam verò, quæ longe veriſimilior videtur, non ſolùm venarum abſorbentium, ſed etiam vi corporis univerſi muſculoſæ minutæ, malum tribuent.

Debilitatis cauſæ ſunt admodum variæ: præcipuis annumerantur morbi plurimi, febres putà, eryſipelas,

eryſipelas, ſcarlatina dyſenteria, menſes nimis abundantes, vel ſubſidentes, exinanitiones nimiæ; quibus accenſeatur rerum, quæ apud medicos non naturalia ſatis abſurdè vocantur, defectus vel abuſus; cibi, nimirum, inopia, ſeu diæta juſto tenuior, aër humidus et frigidus, ignavum vitæ genus, ebrietas frequens, vigiliæ, venus nimia, et omnia quæ vires inſigniter frangunt.

Quamvis omnium harum cauſarum effectus iidem ferè ſint quædam tamen de ſingulus, ut in hujuſmodi opuſculis fieri ſolet, aſtrictiùs ordine dicamus oportet. A febre tardius convaleſcentibus talorum ſub noctem imprimis, ob ſtationem diurnam, tumor eſt, qui cubitu evaneſcit, viribus refectis, corporeque cætera ſano, haud omnino rediturus: hoc autem, ſive ob ingentem debilitatem, ſive ob viſcerum quorundam labem, minime perpetuum eſt: hîc dirus hydrops ingraveſcens ægrum a febre vix liberatum

tum brevi interdum tollit: Quartanæ, quippe vires insigniter convellenti, malum non rarò obrepit. Dysenteria longinqua, aliique morbi longi eodem fere modo hydropem inferre possunt. Corporis vires scorbuto implicatis usque eò interdum franguntur, sanguinisque circuitus adeo languet, ut non solùm pars sanguinis tenuior, sed etiam particulæ rubræ ex arteriis exhalantibus ubique ferè corporis effundantur. Erysipelatis et scarlatinæ hydropisis proles non rarò existit. Fluxu menstruo subsidente, tali sæpe tument: cùm sanguinis modus hîc retentus haud ita magnus existit; pedum, totiusque corporis tumorem debilitati ferè solùm tribuamus oportet: Malum hæmorrhoidis effectus interdum extitisse fertur: mensium redundantia, aliæque hæmorrhagiæ, ratione minimè obscurâ diram, de qua agitur, affectionem sæpe moverunt.

Inflammatio, partium imprimis membranacearum, quæ etiam sanæ humorem tenuem in omnia

nia corporis cava effundunt, hydropiſin non rarò gignit: hydrothorax pneumoniæ, aſcites interitidis, peritonitidiſve proles ſæpe exiſtunt. Ruſh diathereſin phlogiſticam hydropis comitem interdum eſſe ſcribit; hoc autem perrarum, ſaltem in Britannia, ſit oportet.

Eadem cæterarum cauſarum excitantium ratio ferè eſt. Cibi inopia et diæta tenuior non ſolùm corporis vires frangunt, ſed etiam ſanguinem circumfluum, ut clarè Hewſonis experimentis patet* tenuiorem, et aquæ effuſioni aptiorem reddit. Ratio, quâ aër frigidus et humidus et ignavum vitæ genus aquæ in corporis cava effuſioni cauſam præbet, minimè obſcura eſt, neque explicatione eget: Opificibus in aëre humido et frigido ſtatim laborantibus hydrothorax præ cæteris maximè familiaris eſt †. Vini, ſpiritûſve

* Experiment. Inquiery, Part II. p. 106.

† Bonetus, Ramazzini, et Liſter.

ritûſve ejus, abuſus cunctas machinæ animalis munera perturbat, et tandem vitæ fundamenta quatit: Viſcera, quorum eſt alimenta in chylum et ſanguinem vertere, vires ejus damnoſas primò patiuntur: ventriculi vires convelluntur, pylorus, duodenum, pancreas, et hepar, ſæpe tument, et indurent; mirum igitur videri non debet, ſi bibuli potores peccata ſua acerbè ſæpe luant.

Humore *paracenteſi* exinanito, nova ejus effuſio citò fit: hoc preſſu vaſis exhalantibus, quorum per oſtia laxa non modò humores tenuiores, ſed etiam ſanguis ipſe ruber interdum perfluit, depulſo pendet.

II. Cauſæ, quæ hydropem ſæpiſſime excitant, ſunt variæ corporis partes ita obſtructæ vel compreſſæ, ut ſanguinis rubri, aliorumve humorum, circuitus impediatur: præcipuæ hujus impedimenti cauſæ ſunt cordis et vaſorum majorum, aortæ nimirum, et arteriæ pulmonis, vitia, quæ

ſanguinis

sanguinis circumflui vias obice claudunt ; et viscerum tumores, aut duritia, quæ comprimendo obstant quominùs sanguis ruber, aliique humores circulos suos conficiant. De his rebus breviter et ordinatim differere jam aggrediar.

Cordis et arteriarum valvæ, ut Bonetus *, aliique clari viri, cadaverum hydropicorum incisione invenerunt, haud rarò in os versæ erant : alia pariter cordis et arteriarum vitia ab eodem auctore narrantur, harum, puta, aortæ præsertim, natura in osseam materiem conversa, aucta moles, pallor, sacculorum tenuitas, cordis et pericardii adhæsiones inter se; et interdum ipsa visceris mirandi ostia penè clausa reperta sunt, cujus insigne in hujus urbis nosocomio exemplum non ita pridem observatum est.

Viscerum tumores, qui morbum sanguinis or-

* Sepulchret. Anatomic. Lib. III. Sec. 21.

bem impediendo concitant, ſunt admodum varii; cerebri tumores hydrocephalon, pulmonis hydrothoracem, hepatis, ovarii, ſplenis, aliorumve abdominis viſcerum aſciten, teſtiumque hydrocelem, excitant; horum tumorum frequentiſſimus eſt ſchirrus: hepatis hoc vitio affecti moles plerumque augetur; interdum verò minuitur. Aſcites ſanguinis circulum hac jecinoris labe impeditum cauſam ſuam longè frequentiſſimam agnoſcit: nec hoc ſingularem ſanguinis per hepar reputanti curſum mirum videbitur: ventriculi enim, inteſtinorum, omenti, pancreatis, et veſiculæ bilis, venæ, humorem vitalem reduces in magnum vas vehunt quo hic in jecur, arteriæ more, diffunditur; hinc jecinoris tumorem aut duritiem, ſanguinis tranſitum non modò per hepar, ſed etiam per viſcera jam dicta, impedire manifeſtum eſt: hîc igitur ſanguis in venâ portæ *ventrali* neceſſariè congeſtus arteriarum, cœliacæ, nimirum *meſentericæ* ſuperioris atque inferioris ſtimulo eſt inſolito; tenuior igitur

ſanguinis

ſanguinis pars, nullâ ferè per vias naturales porta datâ per arterias exhalantes quippe nullo obice clauſas ſæpius effundatur neceſſe eſt. Non deſunt autem exempla, quæ, quamvis diu perſtitiſſent, et jecur in ingentem molem increviſſet, hydropem tamen non concitarunt. Hepatis tumor curſum ſanguinis per venam cavam rariùs quidem impedit; malum igitur inde natum pro ratâ rarum exiſtit. Ovarii ſchirrus, vel ſaccus hydatides habens, aſciten plerumque immedicabilem excitant: Splenis quoque tumor ſeu ſchirrus cauſis ejuſdem excitantibus annumerari ſolet; hoc autem rariùs evenire videtur; lien enim febre intermittente longinquâ, quartanâ præſertim laborantibus, hydrope haud excitato, ſæpe tumeſcit. Cumque ſplen non niſi poſt lentam valetudinem intumeſcere ſolet; ſchirrum aut tumorem ejus hydropiſeos aliuſve affectionis diuturnæ effectum eſſe veriſimilius mihi videtur: minime autem negare volumus quin ſanguis e ſplene tumido redux adeo interdum impediatur,

ut

ut anſa malo prebeatur: pylori etiam ſchirrus, ut Clar. Monro nobis confirmat hydropis cauſa interdum exiſtit.

Alii quidem, præter ſchirrum, tumores ſunt, qui malum eodem fere operandi modo faciunt; his ſacci præter naturam facti, hydatides habentes, annumerantur; glandularum lymphaticarum tumor, ſeu ſchirrus, hydropem aliquando plùs minùs excitat. Talos gravidis mulieribus tumeſcere facit uteri moles naturaliter aucta.

Aſthma, aliæque præter ſchirrum affectiones, ſanguinis curſui per pulmonis vaſa officientes, aquæ effuſionem in pluræ ſaccos, pericardium, et telam ejus ſpongioſam interdum efficit: hoc quoque vitium glandularum lymphaticarum, ad aſperam arteriam bifidam ſitarum, tumores lymphæ reditum impediendo aliquando gignunt.

Aqua in pectoris cavis congeſta ſæpe obſtat,

quo-

quominùs cordis facculi accuratè et abſolutè ſe depleant : hinc ſanguinis curſu per venam cavam pro ratâ impedimenti parte interpellato, totius vel magnæ corporis portionis, anaſarca naſcitur.

Cel. Muſgrave aquæ tepidæ copiam canis thoraci ſæpius infudit : Animal moleſtia affectus a factitio hydrothorace breve convaluit : quantopere vires corporis integræ vaſorum reſorbentium actioni favent, hoc experimento patet.

Hydropiſi opportuniores ſunt ætate provecti temperamento *leucophlegmatico* præditi, et ſexus muliebre ; neque ratio obſcura.

III. Cauſæ ferè omnes hactenus memoratæ abſorptioni plùs minùs obſtant ; cæteræ propriè ad hanc rei diviſionem referendæ, ſunt ductus *thoracicus* aliquà compreſſus, vel obturatus, glandularum lymphaticarum tumor aut ſchirrus, vaſa re-

ſorbentia rupta, mora ſanguini in venam cavam reduci allata, paralyſis, frigus, et denique membranarum inflammatio.

Cum chylus, totuſque humor per vaſa exhalantia in omnia corporis cava effuſus, cæteraque principia ex quibus chymus conſtat per venas *lymphaticas* valvatas in ſanguinem reducuntur; cauſarum jam dictarum operandi modus in promptu eſt; ductu thoracico compreſſo ſeu obturato chyli in ſanguinem reditus penitùs impediatur neceſſe eſt: Cheſton tamen idoneus auctor inſigne hujus vitii literis mandavit exemplum, quod, hydrope univerſo haud excitato, diu perſtitit *; hîc quidem dextrum duntaxat crus intumuit. Glandularum lymphaticarum tumor aut ſchirrus partis unde venæ earundem bibulæ incipiant, hydropem movet. Aſcites, ut Bonetus ſcribit, glandulis *meſenterii* intumentibus,

* Philoſoph. Tranſact. Vol. LXX. p. 323.

bus, aut materia lapideâ obturatis, non rarò ſupervenit * hujus autem obſtructionis exempla, reditu chyli haud impedito, ſæpe quidem obſervantur: rei ratio frequenti venarum bibularum nexu petenta eſt. Venis exſorbentibus ruptis hydrops, pro magnitudine partium, unde illæ humorem effuſum reducere ſolebant, naſcatur oportet: ductu *thoracico* fiſſo, chylum in thorace repertum fuiſſe fertur.

Non deſunt quidem, qui hominem, ductu thoracico rupto, brevi, ob nutrimenti inopiam, moriturum eſſe, aſſerunt; exemplum autem a D. Cheſton jam acceptum rem haud ſemper ita ſe habere demonſtrat. Mora ſanguini per venam cavam reduci aliquà illata chyli in venam *ſubclaviam* tranſitui pro ratâ obſtructione officiat neceſſe eſt: frequentiores hujus impedimenti cauſæ ſunt cordis et arteriarum majorum vitia, de quibus

* Lib. III. Sect. xxi. Obſervat. iv. vi. et x.

quibus ſupra actum. Peculiaris illa ſanguinis in corde aut vaſis magnis concretio, quæ polypus appellatur, hydropem, aliaſque morbos movere perhibetur: non deſunt autem qui hanc ſanguinis mutationem morebundis tantùm contingere docent. Partium multò ſæpius, quàm univerſi corporis, hydropiſin paralyſis movere ſolet. Num venæ bibulæ paralyſi, corpore cætera incolumi, unquam afficiantur, mihi animus hæret. Spaſmus venarum bibularum oſculis frigore illatus rerum exſorbendarum introitum impediendo morbum interdum incutere videtur: frigida in ventriculum recepta, friguſque corporis extremo admotum, aquam intercutem efficere multis perſuadetur. Hoc veriſimile reddunt Halleri experimenta, quæ frigus venas bibulas in contractionem illico ciere probare videntur. Partium denique membranacearum fabricam inflammatio delet: inde craſſeſcunt; et glutine ſanguinis effuſo obducuntur, indeque oſcula vaſculorum ſorbentium læſa muniis ſuis exſequendis inepta fiunt.

IV.

IV. Cauſæ, quæ ſanguinis ſero ultra modum aucto morbum concitant ad aquam nimiam in corpus receptam, et aquoſarum excretionum ſuppreſſionem referri poſſunt. Frigida nimia, et diæta aquoſa malum concitaſſe feruntur: ſeri autem ſanguinis redundantia nunquam forſan hydropem movit: ſi hæ, autem, et impeditus ſanguinis circuitus, aut inſignis corporis debilitas, aut excretionum naturalium ſuppreſſio inter ſe nexæ et jugatæ fuerint, ad effectum præſtandum conferre poſſe videtur; hydropicorum cutis aquam ab aëre, res medicis bene nota, exſorbet: hoc autem pro leucophlegmatiæ effectu potiùs quam cauſa haberi poteſt.

Cutis exhalatio frigore ſuppreſſa anaſarcam non rarò gignere fertur: hoc autem, corpore cætera ſano, vix fieri poteſt; hîc enim urinæ copia pro ratâ augetur; urinæ quantitatem, poſt frigus corporis extremo admotum, inſigniter augeri omnibus innoteſcit.

Non deſunt hydropis exempla, quorum alia ab impeditâ urinæ* ſecretione, alia verò ab ejus excretione ſuppreſſâ† nata ſunt. Suppreſſa autem urinæ ſecretio longè frequentiſſima licèt et certiſſima ſanguis vitii, de quo agitur, cauſa exitium tam citò affert, ut hydrops inde rariùs oriatur neceſſe ſit.

Cauſa hydropis proxima in minutâ humorum abſorptione, vel auctâque eorum effuſione, vel in binis his vitiis ſimul exiſtentibus, conſiſtere videtur.

Hydropis cauſas, quâ potuimus accuratione, jam tradidimus; ſiquæ aliæ ab aliis recenſeantur, ad capita ſupra poſita facile referri queant.

CURATIO.

---

* Monro, p. 13.

† De Haen.

CURATIO.

V. CURATIO in tria medendi consilia, causarum, nimirum, sublationem, humoris effusi exinanitionem, et virium refectionem dividi solet: his autem, quippe multa communia habentibus, eadem ferè, quæ causarum divisioni supra objecimus, jure quidem opponi possent.

Primum consilium, causarum, scilicet, sublationem, quod attinet; si mera debilitas causa fuerit; vel si huic scorbutus, aut amenorrhœa accedunt, neque aquæ effusio permagna existat; roborantia tempestivè adhibita, diæta, nimirum, nutriens, exercitationes sub jove sicco et frigidulo, cinchona officinalis, ferrum, amara, fricatio, brevi plerumque respondebunt: si aliæ autem affectiones mali causæ vel comites fuerint, ad has profligandas omni studio incumbamus oportet:

oportet: remedia pro effuſionis cauſarum varietate, quarum quæque ſua ſæpe poſtulat, ſeligantur neceſſe eſt: ſi morbus ſanguinis jacturâ, aliave exinanitione nimiâ pendeat, cibo ex carnibus et vino generoſo, conſtanti, præcipue fidimus: de tertio autem medendi conſilio infra acturi roborantia fuſiùs retractabimus.

Si ſchirrus effuſionis cauſa fuerit, remedia eidem diſcutiendo apta, quæ apud medicos *deobſtruentia* vulgò nuncupantur, decurramus neceſſe eſt: horum princeps eſt hydrargyrus; qui non modò ſchirro reſolvendo, ſed etiam actione venarum bibularum excitandâ, cunctiſque ſecretionibus promovendis, plurimum meritò commendatur: quò optimos edat effectus æger in ejus uſu non ſolùm donec gingivarum teneritudo ac dolor eum ima corporis penetralia afficere indicent; ſed etiam bimenſem, aut circiter, poſtea perſtare debebit. Pæparata huic conſilio maximè idonea ſunt, unguentum, pilulæ, hydrargy-

rus

rus præcipitatus cinereus, et hydrargyrus *acetatus*: unguentum cæteris forsan anteponendum: aliæ verò aliis formulæ arridٍent: insignem, quâ in actione vasorum excitandâ pollet, vim docent boni effectus, quos lentâ jecinoris, oculorumve, inflammatione laborantibus præstat.

Vomitio etiam, quippe testium, glandularumque lymphaticarum referandi vi pollens, aliarum quoque partium tumori, aut schirro discutiendis, haud inepta videtur; gravior autem vomitus, propter debilitatem, quam efficere solet, caveatur. Corporis frictio, qua venarum bibularum actio rectà augetur, subinde adhibeatur. Quoties malum frigore calenti corpori admoto nascitur; cutis vasculorum spasmus jure suspicandus est; hic etiam vomitoria, et præsertim opium, quod, Monro testante, insigniter interdum profuit, illico dentur: illa sanguinis cursum ad corporis extremum faciendo, hoc stimulo suo diffu-

sili,

ſili, ſpaſmum tollunt; venarum bibularum oſtia inde liberata humorem ex omnibus corporis cavis reſorbendis apta fiunt.

Si incepta parum procedant morbumque ex ſtabili cordis, arteriarumve majorum, vitio quæ medicinam vix ac ne vix quidem admittunt, ſigna pendere indicient, ad moleſtiæ amotionem ſolùm incumbamus oportet: hoc conſilio monendus eſt æger, ut cauſas mali remotiores, præſertim quæ ſanguinis curſum nimis feſtinant, omni ſtudio fugiat: temperantia igitur, corporis ſitus, qui maximam ægrotanti levationem, affert, rerumque, quæ medicorum linguâ non naturalia appellantur, regimen, ſtrictè colenda ſunt.

Neque humoris effuſionem, cauſâ ejus etiam ſublatâ, interdum immobilem perſtare, et, quo minùs res benè cedat, obſtare, prætermittendum eſt: Hìc ad aliam aquam evacuandi ratio-

nem

nem decurratur neceſſe eſt; quod nos ad ſecundum conſilium ſponte quaſi ducit.

Varia quidem remedia humoris effuſi exinanitioni commendantur: ad hoc auxilia ſupra dicta, et hydrargyri præparata imprimis, interdum valent; cæteræ res huic fini accommodæ ſunt viæ ad laticis effuſi ſedem perforatæ, quod apud chirurgos *paracenteſis*, et *punctura* audit; *veſicatoria*, *braſſicæ folia*, *diuretica*, *cathartica*, et *ſudorifica*, de quibus ſigillatim breviter jam agetur.

Paracenteſis vix alii hydropis varietati quam hydrothoraci et aſcitæ accommodatur: hac quidem laborantibus ſæpe adhibetur: eidem verò rarò medetur; diſtentione, autem, moleſtiâque inde natâ, graviter urgentibus, levamen illico adferre ſolet; mortemque frequenter protrahit; debilioribus tamen res parum procedit; imò interdum exitium affert.

Complures

Complures paracenteſin hydrothorace affectis commendant: commodum autem non ita magnum his attuliſſe experientia docuit. Quoties verò malum eò procedit, ut anima ægre aut difficilè reciprocetur, humoris effuſi exinanitio ſigna moleſta haud parum levat, vitamque ſæpe producit, præſertim ſi vires non admodum franguntur. Quo autem aſcitæ aut hydrothoracis ſtadio terebratio commodiùs et tutiùs fiat dicere non audeo.

Humore arte exinanito, novam effuſionem ſolito longè citiùs fieri obſervatum eſt: Hinc quidam, quò hinc malo occuratur, liquoris inflammationi movendæ idonei, infuſum ſuaſerunt; quamvis autem hydrocele laborantibus res bene cedat; pectoris abdominiſve hydropi admodum aliena videtur ſaccorum enim parietum inflammatio et adhæſiones inter ſe, in abdomine præſertim plùs malo occurrendo timendæ ſunt.

Punctura,

Punctura, ut vocantur, ſeu cutis vulnera ſcalpello puncta, moleſtiam diſtentione nimiâ ortam ſæpe levant; nunquam autem per ſe ad morbum profligandum valent; imò, viribus inſigniter fractis gangrænam periculoſam ſæpe movent. Ubi verò cutis adeo diſtenditur, ut diſrumpi periclitetur, non rarò, aliis idoneis remediis ſimul adhibitis, prodeſſe ſolent. Veſicatoriorum artubus impoſitorum eadem eſt ferè ratio: haec autem capiti et thoraci tutò admoveri poſſunt. Braſſicæ folia artubus hydropicis applicata magnam aquæ intercutis vim interdum evacuant; nec unquam ægrum in vitæ periculum inferunt.

Laticis effuſi exinanitio hoc habet commodi, quod remedia frùſtra antea data, eâdem peracta, votis interdum reſpondent: hoc veteribus innotuit; "Neque enim," inquit Celſus, "ſanat "emiſſus humor; ſed medicinæ locum facit, "quam intus incluſus impedit*."

* Lib. iii. cap. 21.

Nullum quidem, quod ſcio, nobis ſuppetit remedium, præter paracenteſin, quod *ovarii* hydrope laborantibus levamen affert. Hæc quidem affectio perrarò medicinam admittit.

Cætera remedia, quæ humorem effuſum emittendi vi pollent, abſorptionem augendo, humoremque curſum a mali ſede ad alias corporis partes avertendo, agere videntur: eorum præcipua ſunt, quæ urinam, alvum, et ſudorem cient: his etiam vomitoria, de quibus preſſè ſupra diximus accenſeantur.

1. Medicamenta urinæ ſecretione ciendæ apta apud medicos diuretica vocantur, cùmque exitum facilem et naturalem humori effuſo præbent, et ex omnibus hujus ordinis remediorum minimam creant moleſtiam, primum locum meritò tenent: eadem verò expectationem non rarò fallere lugendum eſt. Quoties inſignis debilitas, cum magnâ diſtentione et ſpirandi difficultate urget,

get, diuretica cæteris anteferenda ſunt, quibuſdamque fallentibus, quod ſæpe evenit, alia experiamur oportet.

Remedia urinam moventia permulta quidem exiſtunt; de eis autem quæ uſus maximè comprobavit hic loci agemus: eorum præcipue ſunt acida, ſales alkalini, et neutrales, balſama, ſcilla maritima, colchicum autumnale, nicotiana, cantharis, ſeu *melœ veſicatorius*, et digitalis purpurea.

Quamvis omnia acida urinam plùs minùs cieant, olimque in uſu fuerint, efficacioribus remediis locum paulatim ceſſerunt, hodièque eis parum creditur: quæ de acidis jam diximus, eadem in ſales etiam alkalinos quadrant: rarius enim nunc, hydropicis dantur, quòd auxilia longè efficaciora nobis ſuppetunt. Sales etiam neutrales nitrum, puta, et tartari cryſtalli imprimis, magna aquæ copia diſſoluti, urinam hydropicis mirum

rum in modum interdum movent; magnumque ſolatium afferunt: Cùm corpus haud parum refrigerant, eis forſan ægris, quibus vires haud multum franguntur, et ſigna inflammationis aliquid habent, maximè profutura videntur: ob diſſolvendi difficultatem pulveris aut electuarii formâ cui æger magnum aquæ copiam ſuperbibat, commodiſſimè dantur.

Scilla maritima magnam ſibi famam ex vi, qua ad humorem emittendum pollet, antiquitus ſibi peperit, et etiamnum præſtat; nauſeam plerumque facit moleſtam, quæ vires ejus ſalutiferos augere videtur: vomitus enim, ut ſupra diximus venas bibulas ad actionem ſtimulat, vireſque adauget. Nauſea autem quibuſdam adeo moleſta eſt, tantumque medicamenti faſtidium fert, ut juſta quantate dari nequeat: hinc Cel. Profeſſor Gregory doſibus primò admodum parvis, poſtea, cum æger eidem aſſuetus fuerit, paulatim

paulatim augendis dari ſuadet. Scilla vim ſtimulatricem, qua hydrargyrus in toto corpore pollet, ad renes vertere videtur ; inde hic et illa ſimul data, ſeu juncta, rarò, ſi morbus medicinam admittit, ſucceſſu deficiuntur.

Quamvis cholchicum autumnale urinæ ciendi vi nobis de meliore notâ a Cel. Stork commendetur, parum tamen in Britannia proceſſit.

Balſama plura, copaiba, nimirum, tolutanum, Peruvianum, et eſſentialia, terebinthinæ, præſertim, et juniperi, hujus imprimis, olea, prodeſſe feruntur. Vini ſpiritus juniperi oleo, aquâ, ſaccharo, et acido citreo dilutus, *gin punch* Anglice dictus, potus communis ſæpe datur. De cantharidum effectu nondum ſatis conſtat.

Digitalem purpuream medicis jamdudum cognitam, poſtea verò ob diros, quos interdum edit effectus obſoletam in lucem denuo protulit Cel. Withering,

Withering, qui, doſin ejus idoneam optimumque præparandi modum feliciter ſcrutatus, plantam rebellatricem ſub medicinæ imperium redegit. Feliciſſimos non rarò effectus præſtitit: cautè tamen et cogitatè detur oportet, et opus eſt: ubi nauſeam facit; aliamve inſignem moleſtiam parit, illico omittatur neceſſe eſt: at nihilo tamen minùs ad nauſeolam uſque dari oportet: aliter enim effectus optandos rarò edit: rem filiciùs ruri qùam in urbibus cedere, obſervatum fuit: hoc forſan eò pendet, quòd herba recens ſæpe illic, hìc verò exſiccata plerumque datur: vires enim ex perita ſiccatione multùm pendent.

Infuſi, tincturæ, pilulæve, formâ, qualis ægro maximè arriſerit, aſſumi poteſt. In uſu ejus paucos tantum, ſeptimanam, dieſve plùs minùs decem, hydropicis, perſtandum eſt: ulteriùs enim hîc rariùs prodeſſe ſolet.

Qualibuſcunque verò remediis moveatur uri-

na,

na, potus aquoſi copioſè ſimul dare neceſſe eſt. Aqua quidem largè epota urinam copioſè interdum movet; nec deſunt hydropiſeos ſic ſanatæ exempla: hunc aquæ uſum Doctori Milman, ni fallor, acceptum referre debemus. Veteres quidem, Boerhaave etiam ipſe, et Swietenius, hydropicis potu, quantum fieri potuit, abſtinendum cenſuerunt: hodierna autem medicina rerum uſu peritior, aquæ copiam feliciter dat.

2. His proximum locum tenent remedia quæ alvum cient: acriora, convolvulus jalapa, nimirum, convolvulus ſcammonium, gambogia, hydrargyrus muriatus mitis, elaterium, per ſe, vel aliis conjuncta, maximè laudantur: Mitia etiam tartari cryſtalli imprimis, mirâ aquam emittendi vi prædiți ſæpe inveniuntur. Profeſſor Gregory hydrargyri muriatis pulveriſque jalapæ compoſitionem plurimum ad aquæ exinanitionem poſſe, in prælectionibus ſuis docet. Copioſam autem alvi purgationem vires inſigniter citòque convel-

lere

lere experientia conſtat: id ne fiat, intervallis idoneis, et prout vires ſinant, iteranda dentur oportet: remedium iterandi occaſionem diſcernere difficile quidem eſt. Si ultra citrave modum pecces, periculum ex utrâque parte imminet. Sydenham cathartica acriora anteponenda cenſet: quoties autem debilitas inſignior fuerit, *tartris acidula potaſſæ*, remediis roborantibus ei interpoſitis, primò experienda videtur. Exemplis, quibus ob ſpirandi difficultatem, ſuffocationis diſcrimen eſt, alvi purgatio, quippe ſepti tranſverſi deſcenſui, locum factura, cæteris remediis præmitti debet.

3. Si alvi purgatio, ſpes noſtras fallat; remedia, quæ ſudorem movent, tentanda ſunt: hoc autem, aequè ac urinam cientia, fallacia, et longè periculoſiora exiſtunt: ſudor enim hydropicis haud facile elicitur: ſi medicamentis quæ corpus nimis calefaciunt, aut ſtimulant, rem aggrediamur; vires haud parum convellentur; indeque

plus

plus mali quam boni ex auctâ cutis excretione orietur. Sudor haud alio remedio citiùs, certiùs, tutiùſque, quàm pulvere ipecacuanhæ compoſito, cietur: Opium ipſum non rarò profuit* cæterorum auxiliorum inſtar, hæc hydrargyro præmiſſo, ſudorem certiùs eliciunt †, imò hydrargyrus per ſe, aut ejus antimoniique compopoſitio ſæpe reſpondent. Quò res bene cedat, induſia, ſtragulaque lanea, atque potus blandus tepidus et copioſus, balneo calido præmiſſo, opus ſunt.

Sanguinis jactura, ſive ſponte, ſive caſu, fiat, morbo interdum medetur; perrarò, autem, aut nunquam forſan, ea eſt corporis debilitas, mittendus eſt.

4. Vomitio, ut ſupra diximus, tumores inter-

* Willis Pharmac. Rational. Cl. Monro, p. 68.

† Profeſſ. Gregory Prælect.

dum reſolvit, eodem operandi modo, abſorptionem, nimirum, promovendo, huic pariter conſilio haud inepta videtur, nec deſunt quidem hydropis exempla vomitu ultro nato ſanata. Ubi autem ingens humoris effuſi copia, ut in hydrothorace non rarò fit, ſuffocationem hydropico minitatur, haud ſine vitæ periculo aſſumi poſſunt: porrò vomitio ad tempus, humori emittendo neceſſarium, permanens, ex antimonio, aliiſque rebus acribus in quorum uſu pauci quidem ſatis diu perſtare valuerint, ſolùm parantur. Quibuſdam forſan ægris, præſertim quibus ſpirandi difficultas non eſt magna, neque vires inſigniter deficiunt, mitiora ſatis tutò dari queant, ſulphas nimirum zinci, parvo tantùm aquæ quantitati diſſoluti, qui effectum citò et leniter præſtat.

Cauſis remotis ſublatis, emiſſoque humore, ad virium refectionem incumbamus oportet. Remedia huic conſilio accommodata vulgò *tonica* ſeu roborantia appellantur. Hujus generis remediorum

mediorum optima ſunt diæta nutriens, cinchona officinalis, ferrum, exercitatio, frigidarium, frictio, amara, gentiana lutea, nimirum, anthemis nobilis, colomba; et aromata, citrei mali cortex imprimis. Roborantia, non niſi humore evacuato, exhiberi ſolent: citiùs verò data non rarò inſigniter profuerunt; tantum enim abeſt, ut auxiliorum evacuantium, et *deobſtruentium* viribus obſtent, ut eas mirè promoveant: imò morbum, etiam per ſe penitùs interdum tollant.

Diæta autem nutriens, temperantia, et modicæ idoneæque corporis et animi exercitationes ſub jove ſicco et frigidulo plus omnibus medicamentis ad virium refectionem faciunt. "Quod "ad idoneam corporis exercitationem attinet, "pro remedio roborante omni laude major eſt, "cum ad tuendam ſanitatem, ſi hæc natura bo- "na eſt, cum ad reficiendas et renovendas vi- "res, ſi hæ vel morbo, vel pravo vitæ gene- "re, vel aliis fortaſſe minùs manifeſtis cauſis

"fractæ,

" fractæ, vel exhauſtæ fuerint; tum quoque ad " ſanandos plurimos morbos, qui a debilitate ge- " nerali, vel ſpeciali, ſuam originem ducunt, vel " quorum ſaltem debilitas pars magna eſt*."

Vini generoſi modicum remediis idoneis interpoſitum vires non modò reficit, ſed etiam medicamenta, quæ abſorptionem acuendi conſilio dantur, haud parum adjuvat. Vinum rubrum, Luſitanum, Burdegalenſe, et Rhenaum, aut Cereviſia fortis Londinenſis votis bene reſpondent. Rhenaum, quippe urinam cæteris potentiùs ciens, ſi ægro arrident, anteponendum videtur.

Cibi faciles et ventriculo idonei ex albidis animalium piſciumve carnibus, quales æger ſibi haud alienas eſſe expertus noverit, ſeligantur oportet. Modicus pomorum acidulorum uſus ægro pranſo ſæpe proſunt: Quicquid autem ventriculi munera turbaverit cautè caveatur.

Medica-

* Gregory, Conſpectus Theoret. Medicin.

Medicamenta roborantia cibi refectionibus peritè interpoſita ad vires renovandas plurimum conferre ſolent: horum cinchona princeps jure habetur: gentiana, colomba, chamæmeli flores, et citri et aurantii cortex, bonos ſæpe effectus edunt. Medicamentorum roborantium operandi modus, alta caligine mergitur; neque ei idcirco immorari volumus, huic auxiliorum generi ferrum quoque meritò annumerantur. Quod autem diætam et medicamenta attinet, ſagax medicus, quid cujuſque ventriculi proprium fuerit, attente reſpiciet. Alia enim aliis reſpondent.

Si res bene cedat, quod, ea eſt morbi vis, plerumque non fieri, lugendum eſt; prudens frigidarii uſus, viribus magnâ ex parte refectis, curationi abſolvendæ, bene reſpondebit.

FINIS.

EDINBURGI:
APUD E. BALFOUR.